

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

M.A. Level Medieval Latin Examination

16 April 2001

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only.

DO NOT USE PENCIL.

1. A portent of the fall of Troy (Anonymous)

Diximus superius de ipsius ciuitatis edificatione; nunc de eiusdem urbis destructione breuiter attingamus. Illo autem tempore erat in ciuitate Troiana quidam rex nobilis prudens potens, scientia et bonis moribus ornatus, nomine Priamus, qui ipsam urbem in pace et tranquillitate gubernabat et iustitiam et iudicium atque equitatem manutenebat in ea. Cuius uxor Ecuba uocabatur. Qui plures habebat filios, quorum unus uocabatur Hector, uir magne audacie, bellicosus in armis, fortissimus uirtute corporis et animi, potentior super aliis qui in uniuerso reperirentur orbe.

Interea regina quadam nocte, cum in triclinio suo cum puellis eius dormiret, sompniavit facem unam accensam parere et ex illa face quandam sintillam exire uidebat que totam comburebat ciuitatem. Erat quippe regina grauida iuxta tempus pariendi. Excitata uero a sompno, propter uisionem cepit contristari et ualde flere. Ad quam rex accedens diligenter ab ea inquirere cepit quid ei accideret. Ipsa enim uisionem narrare timebat.

2. On animals (Isidore of Seville)

Omnibus animantibus Adam primum vocabula indidit. Non autem secundum Latinam linguam atque Graecam aut quarumlibet gentium barbararum nomina illa inposuit Adam, sed illa lingua quae ante diluuium omnium una fuit, quae Hebraea nuncupatur. Latine autem animalia sive animantia dicta, quod animentur vita et moveantur spiritu. Quadrupedia vocata, quia quattuor pedibus gradiuntur; quae dum sint similia pecoribus, tamen sub cura humana non sunt, ut cervi. Sed neque bestiae sunt, ut leones, neque iumenta, ut usus hominum iuvare possint. Pecus dicimus omne quod humana lingua et effigie caret. Proprie autem pecorum nomen his animalibus adcommodari solet quae sunt aut ad vescendum apta, ut oves et sues, aut in usu hominum commoda, ut equi et boves. Differt enim inter pecora et pecudes; nam veteres communiter in significatione omnium animalium pecora dixerunt; pecudes autem tantum illa animalia quae eduntur, quasi pecu-edes. Generaliter autem omne animal pecus a pascendo vocatum.

3. Roland's final call for help (Pseudo-Turpin)

Deinde tuba sua cepit altis sonis tonitruare, si forte aliqui ex Christianis, qui per nemora timore Sarracenorum latitabant, ad se venirent, vel si illi, qui portus iam transierant, forte ad se redirent suoque funeri adessent, spatamque suam et equum acciperent et Sarracenos persequerentur. Tunc tanta virtute tuba sua insonuit, quod flatu oris eius tuba per medium scissa et vene colli eius et nervi rupti fuisse feruntur. Cuius vox usque ad aures Karoli, qui in valle, que Karoli dicitur, cum exercitu suo tentoria fixerat, loco scilicet, qui distabat a Rotholando octo miliaris versus Gasconiam, angelico ductu pervenit. Ilico Karolus voluit ad eum laturus auxilium redire, sed Ganalonus, passionis Rotholandi conscius, dixit ie: "Noli, domine mi rex, retro redire, quia Rotholandus cotidie pro minimo solet tubicinare. Scias, quia nunc auxilio tuo non indiget, sed venandi studio aliquam feram persequens per nemora discurrit." O subdola consilia Iude proditoris tradicioni comparanda!

4. The good qualities of the dog (Neckam)

Ut supradiximus, ad solatium homini concessus est usus quorundam animalium, quorundam vero subtractus ut suae memor sit praevaricationis. Sed prae caeteris animalibus familiarius obsequitur iussioni humanae canis, quod voluntati divinae attribuimus. In rebus quidem variis utilissimus est canis domino suo. Ditat namque pinguis ferinae deliciis mensas potentum post iocundum artis venatoriae exercitium. Narium sagacitate legunt ferarum vestigia, et certis indiciis produnt ipsarum latebras. Est et canis custos tugurii pauperis domini, nocturnas furum arcens insidias. Venienti domino occurrens, tam latratu quam caudae blandimento laetitiam declarat, et tam saltu laeto quam vultus hilaritate domino blandiens, loquelaе indiciis quibus potest supplet defectum. Praecurrens nonnumquam domini praenuntiat adventum, et dominam amplexibus adulteri gaudentem ignarus praemunit. Homini consortio hominum destituto solatium tantum praebet, ut homo solus non censeatur, gaudens canis obsequio fideli. Tanto autem fidelis amoris vinculo homini colligatur, ut in defensione hominis mortis incurrat discrimen.